

Communis quædam omnium hominum notio, spaciū, et esse, et aliiquid esse videtur voluisse, cum nomina hæc, vel talia formaret, Dimensio, Distantia, Intervallum, Intercapedo, Spaciu, Diastasis, Diastema. Consensus hic latinorum Græcorumque a sensu videtur ortum habuisse. Quis enim non cernit, cœlum a terra, in mundo distare? Orientem ab Occidente? Pedes a capite in se ipso? In capite oculum ab oculo? Ab ore nares? Si quis has distantias, seu intervalla, sive spacia non discernat, hæc legere, aut intelligere, non laboret. Cernentibus enim, et mente præditis nostra scribimus. Cessavit ergo, primo statim speculationis huiusce ingressu, quæstio illa. An spaciū sit. Sed forsitan non cessat alia illa. An spaciū sit aliiquid? Forte enim spaciū quidem fuerit, sed nihil fuerit. Hanc rem, ita discutiamus. Ens, et non ens, idem ne sunt, vel non idem? Si idem, ergo aliiquid et est, et non est. Hoc autem impossibile esse, consensus Philosophorum omnium declaravit, sicut et hoc aliud. Si est aliiquid, ens est. Si vero non est, iam nihil est. Hoc enim e numero entium excluditur, sicut illud inter entia connumeratur. Non ergo spaciū, et erit aliiquid, et in entium numero: et simul non erit aliiquid, et e numero entium reiectum. Ergo spaciū, et distantia, quæ in homine ad pedes est; de numero entium est, et est aliiquid. Et ita de cæteris intervallis quibuscumque. At hoc ens, hoc aliiquid, quale nam est? Amplius namque de eo licet ambigere. Ita consideremus. Consensus veterum communis, tria spacia esse docuit. Longitudinem, sive lineam. Latitudinem, seu superficiem. Profunditatem, quam cum illis duabus vocaverunt corpus. Ita, ut Mathematici, qui se se nusquam errare profitentur, docuerint, longitudinem sine latitudine, primum spaciū, seu mavis intervallum esse. Latitudinem secundum; profunditatem tertium. Ita tamen ut latitudo, considerari nequeat nisi præcedente, et coniuncta longitudine, neque profunditas per se consistere queat, nisi duæ illæ antecedant, et sibi coniungantur. Et sicut illa prima, lineam per se sola efficit, sic duæ coniunctæ superficiem conficiunt; atque ita tres simul iunctæ corpus formant, quod vocant mathematicum. Physicorum vero probatissimi, dixerunt, corpus naturale esse, quod constat, ex longitudine, latitudine, profunditate, et antitypia, quod est resistentia. Itidem, Corpus est, quod habet tres diastases. (hoc est distantias) cum antitypia. Item aliter. Corpus est, quod trium intervallorum distinguitur dimensione, cum antytipia. Denique. Corpus est ex congerie, magnitudinis, et figuræ, et resistentiæ. Magnitudo autem, et figura, non sine aliqua, vel una, vel duabus, vel etiam tribus distantias iam dictis constare potest. Itaque tria spaciī genera sunt, vel tres species, sive illæ mathematicæ, sive physicæ sint per se solæ consideratae, Longitudo, sive linea. Latitudo, sive superficies, et profunditas, sive corpus. Quas ita exposuerunt in corpore physico, ut longitudo aliquando acciperetur, maximum, quod in corpore aliquo spaciū appareret; aliquando autem id, quod esset, superne deorsum. Latitudo autem esset medium in corpore spaciū, sive quod esset a dextris, ad sinistram. Profunditas vero, vel minimum, quod in corpore esse spaciū, vel quod est ab ante, retro. In corporibus ergo singulis, qualiacumque illa sint, vel mathematica, vel naturalia, spacia tria reperiuntur, quæ et mente, et sensu percipiuntur. Quis enim non cernat in corpore quovis obvio, distantiam, quæ est superne deorsum? Et eam, quæ est a dextris ad sinistra, et eam similiter, quæ est ab anteriore eius parte, ad posteriorem? Hæc, respectu nostri aliquando mutantur, ut supera fiant infera, dextera fiant sinistra; anteriora fiant itidem posteriora. In qua tamen mutatione, nihil harum perit distantiarum. Namque, longitudo, et latitudo, et profunditas perdurant, usque ad corporis illius corruptionem. Tres hasce ab omnibus confessas dimensiones, corpori naturali cuique inesse, et cuique proprias, nemo amplius dubitaverit. Verum addimus nos, eas inesse rebus corporeis omnibus; hoc est iis quæ per corpora protenduntur, vel tota, vel per eorum partes, unam, vel plures. Corporeas autem res eas appello, quas vocant qualitates, calorem, frigus, albedinem, nigredinem, et nigredinem, et reliquas. Vel enim tota corpora int, et extra occupant, vel partes eorum. Hoc est, vel superficies operiunt, vel etiam penetrant profunda; atque ita per tres illas dimensiones, ac spacia, ipsæ quoque protenduntur. Itaque concludemus, dimensiones has, atque distantias, et per eas, spaciū simpliciter, in corporeis rebus, hoc est,